

Andreas FRITSCH

QVID J. A. COMENIVS DOCEAT EO LIBRO, QUI INSCRIBITUR ‘VNVM NECESSARIVM’
(Oratio menstrua die 27° m. Nov. 2021 habita)

Vos omnes, sodales carissimae carissimique, salvere iubeo, imprimis autem te, Theoderice, praeses Academiae nostrae maxime honorabilis. Gaudeo, quod parati estis ad audiendam acroāsin meam, quae erit de illo libro, qui inscribitur VNVM NECESSARIVM, quem Ioannes Amos Comenius anno millesimo sescentesimo duodeseptuagesimo (1668°) Amsterodami edidit. Titulus plenus huius libri est:

UNUM NECESSARIUM,

Scire, quid sibi sit necessarium in Vita et Morte et post Mortem.

Quod Non-necessariis Mundi fatigatus, et ad Unum Necessarium sese recipiens, senex

J. A. COMENIUS

Anno aetatis suae 77 Mundo expendendum offert.¹

Comenius dictum Terentii poetae Romani quasi decretum suum, in fronte libri sui proposuit, id est: *Ad omnia aetate sapimus rectius.* Hoc versu (sc. uno verbo omissio)² voluit exprimere homines per multos vel plures annos sapientiores fieri posse et debere atque etiam se ipsum longiore aetate sua plura addidicisse. Comenius fuit, ut inter omnes constat, et theologus et paedagogus et philosophus et auctor multorum librorum et epistularum.

I.

Liceat mihi igitur, priusquam de illo libro eius loquar, aliquid praemittere de vita et operibus eius.³ Non dubito Comenium laudare verbis Vergilianis, quia constat eum revera fuisse *insignem pietate virum*, qui multis *terris iactatus, multaque et bello passus, tot volvere casus et tot adire labores* debebat.⁴

In Moravia natus litteris studuit in Germania (1611-14), emigravit in Poloniam (1628-41), itinera fecit in Angliam (1641-42), Suetiam (1642 & 1646), Hungariam (1650-54), Nederlandiam atque Belgium (1656-70). Natus est igitur anno 1592° in vico Nivnice, qui situs est in Moravia, quae hodie pars est orientalis Rei Publicae Tzechie.⁵ Nomen patris erat Martin Komenský, qui oriundus erat e quodam vico Komňa. Itaque etiam filius nominatus est Jan Komenský; sed, cum iuvenis factus esset, ipse sibi nomen Latinizatum dedit, quod erat Comenius vel etiam Nivnicensis aut

¹ Textus editus est in DJAK 18 = Dílo Jana Amose Komenského = Johannis Amos Comenii opera omnia, vol. 18. Pragae: Academia 1974; rec. Julie Nováková. – Hic liber ante multos annos in linguam Theodiscam conversus est: *Das einzig Notwendige*. Aus dem Lateinischen von Johannes Seeger übertragen und auf Veranlassung der Comenius-Gesellschaft herausgegeben von Ludwig Keller. Jena: Eugen Diederichs Verlag 1904. – Neuausgabe Hamburg: Agentur des Rauhen Hauses 1964.

² Cf. TER. *Adelphoe* 832: Ad omnia alia aetate sapimus rectius.

³ Priore parte huius acroasis meae sequor textum orationis, quam abhinc triginta annos in Symposium Latino, cui titulus erat „De lingua Latina vinculo Europae”, Parisiis in Instituto Finnico, m. Oct. anno 1991 habui. – Cf. etiam: A. Fritsch: In mytho veritas? Vox Latina 32 (1996), pp. 198-208.

⁴ Cf. VERG. Aen. 1,3–10.

⁵ Cf. Nuntii Latini Radiophoniae Finnicae Generalis, 23.1.1993 (et saepius): Tzechia.

Nivanus,⁶ interdum etiam Hunno Brodensis, quia locus natalis prope oppidum Uherský Brod situs erat.⁷ Parentes eius ecclesiam fratrum Bohemicorum reformatam sequebantur, quae originem accepit ab ea reformatione, quam Iohannes Hus in urbe Praga incohaverat. Hussus autem anno 1415^o a concilio Constantiensi contra ius fasque capite damnatus et igni crematus est. Illa societas religiosa, quae nominata est Unitas Fratrum Bohemicorum, Comenium puerum, qui parentes praematurā morte eorum amiserat, educandum curavit. Huic Unitati Fratrum Comenius per totam vitam deditus erat.

Sedecim annos natus (1608) in eam scholam Latinam venit, quam Fratres in oppido Prerovia sustentabant. Triennio post (1611) iuvenis a Fratribus in Germaniam missus est, ut primum Herborniae Nassoviorum, deinde Heidelbergae philosophiae et theologiae studeret. In Moraviam reversus (1614) scholaeque Preroviensi praefectus faciliorem viam puerilium studiorum quæsivit et paulo post libellum ad usum scholarum composuit, cui titulus erat *Facilioris grammaticae pæcepta*. Anno 1616^o sacerdos inauguratus et biennio post ad ecclesiae pastoratum vocatus est; quo munere fungebatur in oppido Fulnecio.

Sed post pugnam ad Montem Album prope Pragam anno millesimo sescentesimo vicesimo (8.11.1620) commissam cives fidei evangelicae magnā insectatione vexari coeperunt.

Furore enim Belli Tricennialis non solum Moravia et Bohemia sed multae regiones Europæ vastatae sunt. Oppido Fulnecio ab Hispanis expugnato bibliotheca Comenii tota direpta periit. Pestilentia grassante Comenius uxorem et duos infantes amisit (1622). Pastores Evangelici edicto imperatoris Ferdinandi II totā in Bohemiā et Moraviā proscripti sunt. Comenius una cum aliquot confratribus in Bohemiae montibus prope fontes fluvii Albis apud baronem quendam (Georgium Sádovsky de Slopna) se occultare poterat.

Quodam die cum in arce vicina (Vilcitz) celebrem bibliothecam cuiusdam Domini Silveri viseret, factum est insperato, ut incideret in librum ab Elia Bodino (1600-1650) Theodisce scriptum et paulo ante in Germania editum, cui titulus Theodiscus (a me hoc loco Latine reddendus) erat hīc ferē: „Ars Didactica secundum naturam et rationem colenda”.⁸ Huius libri lectio Comenium stimulum dedit, ut similem librum linguā Bohemicā scribebat et suo tempore in lucem ēderet.⁹

Sed persecutionis procellā magis magisque saeviente Comenius cum multis popularibus in Poloniā emigravit (1628) et tredecim fere annos (1628-1641) in oppido Lesna¹⁰ sive Lissa versatus est, hoc oppidum hodie Polonice Leszno nominatur. Hic muneribus simul pastoris et scholae magistri et scriptoris fungebatur. Anno millesimo sescentesimo tricesimo primo (1631) eum

⁶ Comenius iuvenis, cum anno 1614 chirographum Copernici astronomi emisset, in illo libro pretioso haec verba inscripsit: „Hunc librum a vidua pie defuncti M. Jac. Christmanni digno redemptum pretio, in suam transtulit Bibliothecam JOHANNES AMOS NIVANUS: Anno 1614, 17 Januarij. Heidelbergae.“ Cf. Milada BLEKASTAD: Comenius, Oslo/Praha 1969, p. 47, annotatio 95.

⁷ Cf. Comenius, Opera Didactica Omnia, Amsterodami 1657, Pars III, col. 71: Oratio ... De cultura ingeniorum habita ... anno MDCL a Johanne Amoso Comenio, Hunno Brodensi Moravo.

⁸ Elias BODINUS, Bericht Von der Natur und vernünftmessigen Didactica oder Lehr Kunst. Nebenst hellen vnd Sonnenklaren Beweiß, wie heutiges Tages der studirenden Jugend die rechten fundamenta verrückt vnd entzogen werden (1621). Cf. DJAK 15/I, pp. 31 et 431a. Cf. <http://diglib.hab.de/wdb.php?dir=drucke/pb-404-1s&pointer=0>.

⁹ Cf. DJAK 15/I, p. 31.

¹⁰ Cf. DJAK 9/II, pp. 341-365: Lesnae excidium anno MDCLVI in Aprili factum fide historicā narratum. Nomen Lesnae saepius mutatum est: Leszczyna (i.e. coryletum, cf. Ov. fast. 2,587, „Haselbusch”), Lessna, Lessno, Leszna, Lesna; hodie Leszno (ibid. p. 345.)

librum scholasticum in lucem edidit, qui inscribitur *Ianua linguarum reserata*, quod opus omnino Latine conscriptum a viris eruditis complurium gentium magno applausu exceptum est et famam Comenii longe lateque in Europa diffudit.

Sed eodem tempore etiam magnam narrationem allegoricam sermone patrio Bohemico conscripsit et paulo post typis mandavit, cui titulus Bohemicus est *Labyrint světa a ráj srdce*, id est Latine *Labyrinthus mundi et paradisus cordis*.¹¹ Hic liber in complures linguas conversus est, etiam in linguam Germanicam, sed, nisi fallor, adhuc nondum in linguam Latinam. Tamen maxime hoc libro Comenius inter homines litteratos famam illustris scriptoris et poetae Bohemici sibi conciliavit. In hoc libro homo quidam fictus narrat de se ipso et vita sua in forma personae primae singularis, e.g. Quid ego nunc faciam? Veni in urbem, vidi aliquid, conveni aliquem, ille me interrogavit, duxit me per vias, monstravit mihi visenda urbis etc. Ille narrator per mundum errat quasi per labyrinthum. Multos homines convenit, qui putant se aliquid scire, sed revera nihil sciunt, aut eorum vita non est congruens cum doctrina eorum. Sic nomen labyrinthi significat omnes ambages, omnes illecebras et praestigias, sed etiam omnes simulationes, fallacias, fraudes, spes inanes, frustrationes, atque etiam nugas et ineptias. Nihil erat verum bonum, nisi hoc, quod viator peregrinans postremo tandem in se ipso, in pectore vel corde suo reperire potuit.

Hic liber (Bohemice scriptus) quasi initium atque etiam primum fastigium fuit scriptorum Comenii, postea plerumque Latine scripsit, ut opera sua in omnibus terris Europae legi et intellegi possent. Exstant ducenta et quinquaginta fere opera¹² eius, quae ad res philosophicas, theologicas, ecclesiasticas, politicas, paedagogicas pertinent. Longum est eius scripta enumerare. Satis est hoc loco commemorare Comenium ad reformandas res scholasticas in complures terras vocatum esse ibique aut aliquot dies aut aliquot annos versatum esse. Ita in oppido Lesna, quod situm est in Polonia Maiore, primum tredecim annos mansit (1628-41), deinde iterum duos annos (1628-50), tum tertium duos annos (1654-56) ibi versatus est. Temporibus interiectis aut iussu ecclesiae suae aut invitatus a magistratibus externis vel viris doctis vel politicis itinera fecit in Angliam et Hollandiam (sive Bataviam) et Suetiam. Duos annos etiam in urbe Elbinga (Elbląg) vixit, quae urbs tum sub dictione Suetorum erat. Ibi composuit illud opus, quod inscribitur *Novissima linguarum methodus*, opus didacticum maximi momenti. Quattuor annos versabatur etiam in oppido Hungarico, cui nomen est Sárospatak [ˈʃa:roʃpɒtɒk], ubi scholam pansophicam instituere studebat et complura scripta confecit, e.g. illud opus, cui titulum dedit: „Schola Ludus” (1650-54).

Post haec rediit in oppidum Lesnam. Hoc oppidum illo tempore propter excellentiam scholarum et magistrorum magnam famam habebat, ut a quibusdam hominibus litteratis *Athenae Novae*¹³ nominare(n)tur. Ibi habitavit Comenius, dum Lesna bello inter Polonus et Suetos renovato (1656) a militibus praedantibus Polonicis deleta est – una cum bibliotheca Comenii et multis chartis manuscriptis. Tum fugit exul per complures regiones et tandem venit in urbem Amstelodamum, quae urbs eum hospitaliter recepit. Ibi ultimos quattuordecim annos vitae sua exulabat, id est ab anno

¹¹ Textus Bohemicus invenitur in DJAK 3 (1978), pp. 265-412; textus a Zdenko Baudnik in linguam Germanicam conversus anno 1907° publicatus est (ab aedibus Eugen Diederichs in urbe Lena). – Cf. Klaus SCHALLER (ed.): Johann Amos Comenius ‘Das Labyrinth der Welt’ und andere Meisterstücke. München: Deutsche Verlagsanstalt 2004. – Dimitrij TSCHIĘWSKI: Das Labyrinth der Welt und das Paradies des Herzens des Jan Amos Comenius. Die Thematik und die Quellen des Werks. In: D. TSCHIĘWSKI, Kleinere Schriften, II: Bohemica, München 1972, 92-139 (dolet mihi, quod hunc textum adhuc non vidi). – Helmut JASKOLSKI: Das Labyrinth. Symbol für Angst, Wiedergeburt und Befreiung. Stuttgart: Kreuz-Verlag 1994, imprimis pp. 110-114, 210, 216.

¹² Klaus SCHALLER: Johann Amos Comenius. Ein pädagogisches Porträt. Weinheim, Basel, Berlin: Beltz 2004, p. 13.

¹³ „Jetzt wurde Leszno »neues Athen« genannt“, cf. BLEKASTAD, p. 270. – DJAK 9/II, p. 360a:

millesimo sescentesimo quinquagesimo sexto (1656) usque ad annum septuagesimum. Hīc edidit multa opera sua, quae iam antea variis locis publicaverat, imprimis illa *Opera didactica omnia* (= ODO, anno 1657°). Hīc mortem obiit anno 1670°.

Iam ab anno 1644° Comenius cooperat elaborare opus suum maximum, quod ante mortem non potuit ad finem perducere et consummare. Tantum duas partes priores publicare potuit vivus. Sed totum opus continet septem partes; ceterae quinque partes demum saeculo vicesimo repertae et in lucem editae sunt. Titulus totius operis est *De rerum humanarum emendatione Consultatio catholica*,¹⁴ et tituli septem partium sunt: *Panegersia*, *Panaugia*, *Pansophia*, *Pampaedia*, *Panglottia*, *Panorthosia*, *Pannuthesia*. Priores partes duae, id est Panegersia et Panaugia, anno 1662 (millesimo, sescentesimo vicesimo secundo) in urbe Amstelodamo („in Bataviae metropoli”¹⁵) typis mandatae sunt. Postquam ceterae partes nostra aetate in lucem prodierunt, imago scriptoris Comenii sive opinio, quam nos habemus de eo, valde modificata, amplificata, completa est. Antea enim Comenius plerisque tantummodo ut paedagogus videbatur, nunc in eo etiam philosophum, theologum, virum politicum videmus.

II.

Sed duobus annis ante mortem suam Comenius eum librum scripsit et edidit, de quo nunc secundā parte huius acroasis aliquid referendum erit, id est *Unum necessarium*. In hoc libro Comenius respicit totum curriculum vitae sua. Nunc senex est septuaginta septem annorum, qui se recipere vult e vita actuosa. Dicit se esse fatigatum tot rebus non-necessariis mundi, id est rebus supervacaneis, rebus alienis, rebus minoris vel nullius momenti. Et quaerit, quid fuerit in vita sua operae pretium, quid fuerit vere necessarium et dignum tot laboribus susceptis et temporibus consumptis.

Comparat et vitam suam ipsius et generaliter vitam omnium hominum cum quibusdam personis ex mythologia Graeca sumptis, quae sunt *Theseus* et *Sisyphus* et *Tantalus*:

1. *Theseus*, qui filo Ariadnae exitum e labyrintho Cretico invenit; hanc fabulam iam HOMERVS noverat (*Od.* 11,321-325). Et OVIDIVS narrat Ariadnam, quae in Naxo insula a Theseo relicta erat, epistulam ad Theseum perfidum scripsisse, in qua eum monuit se ipsam ei illud filum dedisse, quo utens exitum e labyrintho reperire potuit.¹⁶

2 *Sisyphus*, qui ingentem lapidem ad verticem montis subvolvere cogitur et, quotiescumque lapidem ad summum verticem promovit, videt eum ad ima relabi; et identidem debet lapidem sursum volutare, sed lapis subinde revolvitur, et hoc fit sine fine.¹⁷ Haec fabula item ab HOMERO

¹⁴ Cf. BLEKASTAD, p. 396: Erste Erwähnung der *Consultatio* 1645.

¹⁵ *Unum necessarium* § 18; DJAK 18,129.

¹⁶ Cf. OV. *her.* 10,71-72: Cum tibi, ne victor tecto morerere recurvo, / quae regerent passus, pro duce fila dedi. & 103-104: Nec tibi, quae reditus monstrarent, fila dedissem, / fila per adductas saepe recepta manus. – Notior est fabula de labyrintho, quam OVIDIVS in libro VIII *metamorphoseon* (155 sqq.) narravit. Iam ante Ovidium VERGILIVS quoque narrans de Aenea, qui ad inferos descendit, hanc fabulam commemoraverat: „Daedalus, ut fama est, fugiens Minoia regna” etc. (*Aen.* 6,14 sqq.); ibi etiam Pasiphaë, Minotaurus, inextricabilis error (labyrinthi), regina (= Ariadne, regis filia) eiusque filum memorantur (vv. 25-30). – Sed iam CATULLVS fabulam de labyrintho bene novit et in carmen 64 (vv. 50-201) sollerter inseruit: Theseus, postquam monstrum saevum prostravit, „inde pedem sospes multa cum laude reflexit / errabunda regens tenui vestigia filo, / ne labyrinthis e flexibus egredientem / tecti frustraretur inobservabilis error.” (111-115).

¹⁷ DJAK 18, p. 78. – Cf. PHAEDR. app. 7,3-6: Adversus altos Sisyphus montes agit / saxum labore summo, quod de vertice / sudore semper irrito revolvitur, / ostendit hominum sine fine esse miseras.

commemorata est (*Od.* 11,593-600): Ulixes enim vidit Sisyphum apud inferos. Et eo loco, quo Comenius fabulam Sisyphi memorat, verbis utitur HORATI FLACCI, poetae Romani, qui in *satura* prima (id est in *sermone* omnium primo) Maecenatem alloquitur his verbis: „mutato nomine de te / fabula narratur” (*sat.* 1,1,69s.). Hac autem brevi sententia interpretatio fabularum allegorica continetur.¹⁸ Comenius similiter dicit: „Mutato nomine nobis de nobis fabula narratur.”¹⁹ *Tantalus*, ut ait OVIDIVS, „Quaerit aquas in aquis et poma fugacia captat”,²⁰ sed frustra. Etiam haec fabula HOMERO nota erat; Tantalum vidit Ulixes item apud inferos (*Od.* 11,582-592).

Videamus igitur, quomodo Comenius has fabulas interpretatus sit.

Ad hoc elegi aliquot locos ex hoc libro, qui inscribitur „Unum necessarium”, eosque nunc recitare liceat. Liber dedicatus est Ruperto, Palatino Rheni, qui erat filius illius Friderici, electoris et regis olim Bohemici, qui post cladem ad Montem Album acceptam (1620) e Bohemia fugit et propter brevitatem regni sui (1619/20) ab historicis per ludibrium „rex hibernus” sive „rex annuus” nominatur (exul mortuus est anno 1632°).²¹ Rupertus autem, cui hic liber dedicatus est, tum temporis in Anglia apud Carolum II. regem morabatur; ibique magnos magistratus obtinebat, erat enim praefectus exercitus Anglici et classis regiae (natus anno 1619°, mortuus 1682°).

Sed nunc ad librum. Continet decem capita. Caput primum inscribitur his verbis: „Mundum totum superfluitatibus obrui ... exemplis ostenditur”²² Eo loco Comenius scribit inter alia tum haec fere: Notae sunt omni aevo piorum et sapientum querelae; etiam ille auctor, qui *Ecclesiastes* vel Hebraice *Coheleth* appellatur, qui exeunte tertio ante Christum natum saeculo vixisse putatur, iudicavit feliores esse homines nondum natos, qui non viderunt mala sub sole (*Eccl.* 4,3), aut etiam „abortivos” (*Eccl.* 6,3). Et similes querelas per universam Sanctam Scripturam observare poterit, qui observare volet.²³

„Nec aliud Graecorum sapientes voluerunt, dum dogmata sua fabulis involventes hominibus aevi sui labyrinthos, Sisyphea saxa Tantalique delicias eodem sensu narrarunt: non minus vere quam ingeniose. Quod ut patescat et nos mala nostra melius intelligamus remediaque admittamus promptius, eja istis de Labyrintho et de Sisypho et de Tantalo paululum insistamus.”

Deinde narrat Comenius fabulam de labyrintho his verbis:

5. Minos Cretae rex potens uxorem habuit Pasiphaem, monstrosae libidinis feminam: quae cum ex adulterino cum tauro complexu monstrosum edidisset partum, semihominem et semibovem (*Minotaurum dictum*), rex exstrui curavit (*ingeniosi artificis ope Daedali*) *Labyrinthum*, h.e. aedificium perplexum, infinitis viarum ambagibus, atris, transitibus, sursum et deorsum ascensionibus ita undique oppletum, ut quisquis immitteretur semel, oberrando semper, exitum inveniret nunquam. Quo cum inclusisset spuriū illum suum, alios quoque ad mortem damnatos maleficos intrudi jubebat aut devorandos monstro illi, aut perituros fame. Soli Theseo

¹⁸ Cf. VERG. *Aen.* 6,616: Saxum ingens volvont alii.

¹⁹ Cf. COMENIVS, *Unum necessarium*, caput I, § 7.

²⁰ Cf. OV. *amores* 2,2,43; apud COMEN., *Unum necessarium*, caput I, § 8 (DJAK 18, p. 79). – Cf. PHAEDR. *app.* 7,7-9: Quod stans in amne Tantalus medio sitit, / avari describuntur, quos circumfluit / usus bonorum, sed nil possunt tangere.

²¹ Cf. <https://dkblog.hypotheses.org/2863> (receptum die 24.11.2021).

²² Titulus capituli plenus est: „Mundum totum superfluitatibus obrui, molestiis lassari intentionibusque frustrari, exemplis ostenditur perpetuis” (DJAK 18, p. 77).

²³ Cf. COMENIUS, *Unum necessarium*, caput I, § 3.

(Atheniensis regis filio) evadere contigisse commiseratione Ariadnes, regis Minois filiae: quae (consilio Daedali) filorum globum subministraverat etc.

Tum Comenius scribit:

6. *Ita fuit antiquorum de Labyrintho fabulosa narratio: quam mythologi explicando vitam hominum innui ajunt, tam undique perplexam inextricabilibusque difficultatibus plenam, ut mortalium nemo extricare se (nisi quem solus Deus sapientiā instruit) sufficiat. Sed melius patescit mysterium, si Minos ille, Cretae totius rex, regem universi referre intelligatur, Deum: Pasiphae vero imaginem illius sociam hominem. Quam postquam infernalis taurus Satan adulteravit, prodiit inde partu infelici monstrum Minotaurus: h.e. ex divino et satanico semine mista sapientia: superne quidem speciosum quiddam ac coeleste, similitudinem divinam, inferne autem terrenum ac deforme, ipsissimum satanismum referens. (Dii enim esse voluimus, sed formā diabolicā: Deo similes omniscientiae possessione, diabolo aequales oboedientiae rupturā.) Rex ergo universi ut nos puniret, sapientiae suae theatrum, mundum hunc nostrā causā factum, transformavit nobis in labyrinthum: cum immissi omnes oberramus sine fine omnes, quemadmodum Salomonis et omnium sapientum testimoniō ipsāque tristi et perpetuā experientia constat. Totus enim mundus magnus labyrinthus est cum inclusis minoribus innumeris: ut mortalium nemo sit, quin aliquem oberret labyrinthum, aut unus idemque plures. Si omnium hominum daretur inspicere mentes, intricatissimas videremus cogitationum phantasiarumque ambages monstrososque anfractus: si gentium lingvas, infinitum confusissimorum sonorum et conceptuum chaos: si quibus se omnes sub coelo occupant labores, infinitas itidem aut circulationum, aut sursum et deorsum, porro et retro, in dextrum et sinistrum caecarum evagationum tricas. Etenim si sapientissimo illi Salomoni, florentissimo in regno suo, occupationes suae labyrinthus fuerunt (fassus autem est toties et questus dolenter et experti ejus posteri multipliciter), quis regum, principum, procerum, nedum privatorum ullus ab aeternis erroribus et taediis immunitatē sibi polliceri audeat?*

Hic igitur habemus exemplum optimum interpretationis allegoricae fabularum antiquarum.

Notissima est illa quaestio, num Graeci ipsi crediderint vera esse, quae fabulis mythicis (ut ita dicam) tradita sint.²⁴ Certe ne antiquissimis quidem temporibus omnes auditores ea, quae HOMERVS de deis et heroibus finixerat, pro veris habebant, quasi poeta esset rerum gestarum scriptor. HOMERVS, quamquam ab omnibus Graecis maximus poeta existimabatur, tamen non in omnibus partibus fide dignus putabatur. Posteri autem, qui auctoritatem poetae servare et sapientiam eius probare volebant, quosdam locos carminum Homericorum aliter intellegere et explicare coeperunt. Quorum princeps fortasse fuit THEAGENES grammaticus, qui sexto ante Christum natum saeculo librum scripsit *de Homero*, et carmina eius primus omnium allegōrice interpretatus est. Putabat enim carmina poetae sensum habere non eum tantummodo, qui in manifesto esset, sed et alium quendam sensum latentem. Postea etiam alii similem viam ingressi sunt, in quorum numero erant XENOPHANES, HECATAEVS, ANAXOGORAS, METRODORVS, ANTISTHENES, etiam philosophi Stoici ZENON, CLEANTHES, CHRYSIPPVS.

Illi et alii invenerunt varias rationes, quibus mythos traditos allegorice interpretari temptabant. Summatim exstant tres viae vel rationes: 1. ratio historica (quam EUHEMERUS docuit, vixit quarto et tertio saeculo ante Chr. n.), 2. ratio physica vel naturalis (e.g. nomen Herae originaliter significavisse aēra; nomen deae Cereris ortum esse a fructibus gerendis, nomen antea fuisse *Geres*), 3. tertia est interpretatio ethica sive moralis.

Etiam PHILO Alexandrinus, philosophus et theologus Iudaeus (primo post Chr. natum saeculo), modum allegoricum adhibebat in Sacra Scriptura explananda. Tum etiam Christianis haec interpretandi ratio placuit:

²⁴ Paul Veyne: *Les Grecs ont-ils cru à leurs mythes ? Essai sur l'imagination constituante*. Paris: Éditions du Seuil 1983. (Theodisce: *Glaubten die Griechen an ihre Mythen?* Frankfurt am Main: Suhrkamp 1987).

IVSTINVS martyr, CLEMENS Alexandrinus, LACTANTIVS, AMBROSIVS exemplum Herculis in bivio stantis et deliberantis adhibuerunt et ethice explicaverunt. BOETHIVS Christianis patefecit viam ad illas fabulas figurasque metaphorice usurpandas. CLEMENS Alexandrinus (ca. 150-ca. 215), qui primus vir Christianus vere doctus existimatur, philosophiam litterasque Graecas non iam generaliter contempsit nec damnavit, sed fabulas paganas in alium sensum trahere et interpretari coepit et ostendere voluit in iis esse quandam veritatem quasi velatam vel involutam. Sic etiam PHAEDRVS, ille poeta fabellarum Aesopiarum, in quodam epimythio scripserat: „Consulto involvit veritatem antiquitas, / ut sapiens intellegereret, erarret ruditis” (app. 7,17), et allegorice interpretatus est, quod Sisyphus et Tantalus fecerunt et passi sunt.

AUGVSTINVS quoque, HIERONYMVS, HILARIVS, FVLGENTIVS ratione allegorica utebantur, post illos etiam Joannes TZETZES et EVSTATHIVS Thessalonicus, et saeculo quarto decimo Joannes BOCACCIVS (1313-1375). Necnon ERASMVS Roteródamus moralem interpretationem mythorum veterum approbavit atque etiam deorum genealogiam ediscendam commendavit.

Saeculo decimo sexto NATALIS COMES (i.e. NATALE CONTI, 1520-1582) magnum opus edidit, cui titulus est *Mythologiae sive Explicationis fabularum libri decem*. Hōc opere etiam Ioannes Amos COMENIVS uti solebat, ut ipse scripsit.²⁵

Hanc fabulam, quae est de labyrintho et filo Ariadnae, COMENIVS in compluribus scriptis suis commemorat:

1. ut iam dixi e.g. primum in illa narratione Bohemice conscripta, quam ante memoravi (cap. 2,2),
2. deinde etiam in operibus didacticis, e.g. in illo libro, qui inscribitur *Novissima linguarum methodus* (ODO III, cap. XXX, 3 = DJAK 15/II, p. 336: „Vulgata est ab antiquis temporibus de labyrintho Daedaleo, cui monstrum Minotaurus inclusum fuit, narratio.”),
3. tum in oratione, cui titulus est *Methodi Verae Encomia*,²⁶ anno 1651° in Hungaria habita (ODO III, 739-744),
4. denique in hoc libro, cui titulus est *Unum necessarium*,

Hic COMENIVS interrogat etiam (cap. I, § 7): Quid autem *Sisyphus*? Et claudit interpretationem suam his verbis: Ecce **Sisyphi** facti sumus omnes! *Sisyphea saxa sunt labores nostri omnes!* –

(§ 8) **Tantulum** denique narrant ob incontinentiam gulæ (alii dicunt lingvae) ad aeternam esuriem et sitim ... damnatum ... Sic omnes ergo voluptarii, ambitiosi, avari, quotquot eorum orbis alit, ad aeternam famen et sitim damnati Tantali sunt. (DJAK 18, p. 79)

Atque haec omnia Comenius etiam ad se ipsum et ad vitam suam refert. Saepius memorat illud verbum, quod Jesus in Evangelio (secundum Lucam 10,41s.) ad Martham, sororem Mariae, locutus est: *Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima, porro Unum est NECESSARIUM! Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.*

Decimo et ultimo capite scribit haec:

²⁵ COMENIUS: *Methodi verae encomia*. Ex fabula de Labyrintho Daedaleo, filoque Ariadnes. ODO III, 739-744, hic 741.

²⁶ ἐγκόμιον est Latine *laus*.

Gratias itaque ago Deo meo, qui me per totam vitam virum desideriorum²⁷ esse voluit: ac tametsi per id variis me labyrinthis implicari permisit, plerosque tamen aut eluctari jam dedit, aut me ad beatae quietis prospectum ipse manu sua jam ducit. (DJAK 18, p. 123)

[a] *Dixi omnes vias vitae meae discursationes hucusque Marthianis fuisse similes.* (p. 124) ...

Ut fuit didacticum studium, scholas et juventutem molestissimis labyrinthis liberari desiderio susceptum multisque annis continuatum, a nonnullis tamen ut alienum a theologi officio aestimaturn.

[b] *Alter mihi diurnus quoque ac molestus labyrinthus fuit irenicum studium: h.e. varie, noxie prorsusque exitiose circa fidem dissidentes Christianos reconciliandi (si placeret Deo) desiderium variique huc impensi labores.*

[c] *Tum extendere desideria coepi ad totum humanum genus ... reconciliandum. Erant autem nonnulli, qui vituperarent intolerandam et temeritatem, quod unus quispiam consilia dare praesumeret omnibus.*

[d] *Immissus praeterea fui (voluntate Dei) in quendem inusitatum labyrinthum, revelationes Divinas seculo nostro factas (sub titulo Lux in tenebris aut e tenbris) publicandi. Quaeres ut multum laboris et molestiae, ita et multum trepidationis, invidiae periculorumque secum traxit.* (p. 125)

Quid ergo tandem mihi (post tot labyrinthos Sisypheaque saxa, quibus toto vitae meae tempore fatigatus fui) occipiendum? (p. 126)

Tota mea vita peregrinatio fuit, non patria; mutatum perpetuo diversorum, nunquam et nusquam stabile domicilium. At jam coelestis patria in prospectu est, ad cuius usque limina me deduxit dux meus, lux mea, Christus meus. (127)

Hoc ergo mihi jam unum necessarium, oblivisci omnium quae a tergo sunt festinareque ad bravium supremae vocationis Dei (Phil. 3,13), ut ait Paulus in epistula ad Philippos missa. (Cap. X § 10, p. 127)

Post mortem Comenii Leibnitius, magnus ille philosophus, scripsit Epicedium in Comenii obitum, cuius ultimum distichon est hoc:

Tempus erit, quo te, Comeni, turba bonorum,

Factaque, spesque tuas, vota quoque ipsa colet.²⁸

Haec habui, quae dicerem de illo Comenii libro, qui (scilicet) multo plura et alia cogitata et exempla continet, de quibus hic et nunc loqui non potui. Gratias vobis ago pro audientia et patientia vestra.

²⁷ Cf. VVLG. Daniel 9,23; 10,11.19. In Sacra Scriptura „Vir desideriorum“ significat „virum, quem Deus desiderat“; tamen hic locus saepius aliter intellegitur, quasi homo spem suam numquam deponat. Cf. Klaus BERGER und Christine NORD: Wilhelm von Saint-Thierrey, Meditationen und Gebete. Lateinisch-deutsch. Frankfurt am Main und Leipzig: Insel Verlag 2001, p. 95.

²⁸ Cf. Andreas FRITSCH: Der junge Leibniz würdigt Comenius mit einem Gedicht. Epicedium in obitum Comenii. Zum Tod des Comenius vor 350 Jahren (1670). In: LGBB 64/1 (2020), S. 3-22. In rete universalis: <https://www.yumpu.com/de/document/read/63172161/lgb-01-2020-web>